



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Humilitatis

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

Sentiat mens mea dulcedinem præsentia: tuæ: gustet quam suavis es, ut amore tuo capta nihil quærat extra te, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

HVMILITATIS.

IMmente, tremende, potentissime, & incomprehensibilis Deus, quis es tu, & quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, & mansionem apud me facere? Heu quanta est dignatio tua, quanta miseria & ingratitude mea? Tu Rex regum & Dominus dominantium, qui respicis terram & facis eam tremere: tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri: tu Sol claritatis æternæ, qui lucem habitas inaccessibilem: ego verò animal immundum, omnium calamitatum ludibrio expositum, insanis perturbationum motibus agitatam: omni vanitati subjectum, vas contumeliæ, filius iræ, & tenebrarum. Et quomodo potest lucis tuæ ad tenebras meas esse conventio? Quomodo præsumam ad te accedere vermiculus terræ, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Qua fiducia coram te apparebo, justissime Judex, ante cujus conspectum columnæ cæli contremiscunt? Longè enim recessi à te, qui tamen ubique es, & miserabilis anima mea, quam tibi in baptisate desponsaveras, fornicata est cum amatoribus multis, te repudians Creatorem & Redemptorem, ut fallacibus creaturis adhereret. Tu me segregasti ex utero matris meæ, & vocasti per gratiam tuam, ut lucerem coram hominibus doctrinæ & vitæ splendore: ego verò in tenebris vixi, non sapiens quæ tua sunt, sed quæ super terram. Tu paraisti mihi mensam in dulcedine tua, & suspiravi ad ollas carniæ Ægypti. Tu potasti me sanguine tuo, & converti me ad poculum Babylonis. Verumtamen ego loquar ad te, cum sim pulvis & cinis. Respice servum tuum & suscipe me, quem tam amanter invitas ad te. Jam enim cognovi, quia sine te nihil sum, nihil possum: & extra te non est salus nec vita. Projice ergo post tergum tuum omnia peccata mea,

& amplectere me, quamvis indignissimum gratia, tua, ad te revertentem, juxta verbum Prophetæ tui dicentis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.*

§. XIII. *Commemoratio Dominicæ Passionis ante Missam.*

SÆpè dictum est in hoc incruento sacrificio cruentum illud, quod semel in Cruce peractum est, non verbis sed re ipsa repræsentari: una si quidem & eadem est hostia, idem qui per sacerdotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mûdi, eo quod mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius memoriam mactabantur: ita non immerito eundem vocare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirum suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec Mundus durabit. Ideo sancti Patres mortis Christi memoriam hoc sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cum instituto hoc sacramento ait, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba Seraphicus Doctor sollicitè expendens libro de puritate conscientie cap. 9. existimat sacerdotem nullatenus debere Missæ sacrificium celebrare quin prius passionem & mortem Domini commemoret. *Id,* inquit, *quod pro meipso retineo, est verbum illius qui hoc sacramentum instituit, quem non creao illud frustra protulisse. Dixit enim, Hac quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod quoties volo id agere quod ipse instituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientie ac præjudicio anime ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis charitate, ac ejus passione & morte, in cujus memoriam perpetuò recolendam illud Sacramentum*